

rum, ad quaerendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de sapientia. Quodam igitur die, non recolo causam, qua erat absens Nebridius, cum ecce ad nos domum venit et ad me et Alipium, Pontitianus quidam civis noster, in quantum Afer, praeclare in palatio militans; nescio quid a nobis volebat. Et consedimus, ut colloquemur: et forte supra mensam lusoriam, quae ante nos erat, attendit codicem; tulit, aperuit, invenit Apostolum Paulum inopinate sane: putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum vero arridens, meque intuens, gratulatorie miratus est, quod eas et solas prae oculis meis literas repente comperisset; Christianus quippe et fidelis erat, et saepe tibi Deo nostro prosternebatur in Ecclesia, crebris, et diuturnis orationibus. Cui ego cum indicassem illis me scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo, ipso narrante, de Antonio Aegyptio monacho, cujus nomen excellenter clarebat apud servos tuos, nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, et admirans eandem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, et prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua, in fide recta, et Catholica Ecclesia. Omnes mirabamur, et nos, quia tam magna erant, et ille, quia inaudita nobis erant. Inde sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, et mores suaveolentiae tuae et ubera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra urbis moenia, sub Ambrosio nutritore, et non noveramus. Pertendebat ille, et loquebatur adhuc, et nos intenti tacebamus. Unde incidit, ut diceret, nescio quando se et tres alios contubernales suos, nimirum apud Treveros, cum imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exiisse deambulatum in hortos muris contiguos; atque illic, ut forte combinati spatiabantur, unum secum seorsum, et alios duos itidem seorsum pariterque digressos: sed illos vaga-